

talis est Jehova, & Jehova natus, vel adscensus, est Vir κατ' ἐξοχήν, de quo legitur Jer. XXXI. v. 22. Dominus creabit Novum in terra, Fœmina circumdabit Virum, in quibus prædicationibus hypostaticis vi personalis unionis unum Concretum de altero prædicato, Deus de homine, Homo de Deo effertur; Hæ sunt *Idiomata*, quando Naturam Idiomata, vi personalis Unionis in unitate personæ variis modis inter se permutantur; de quibus tamen prolixius hic verba facere modo non est concessum.

### §. XVI.

Post communicationem Verbalem juxta Compendii præsentis plenitudinem, paucis etiam *Communicationem realem* attingimus, quæ naturam Unionis convenienter sequitur, quia juxta regulam tritam: *Qualis est unio, talis pariter est Communicatio*; Realis autem est Unio, adeoque realem quoque Communicationem post se requirit, unde juxta Formulam Concordiæ omnia tria genera *Communicationis Idiomatum* notare possumus, tum κοινωνίας τῶν ἰδιωμάτων, quia Semen Mulieris infinita virtute caput serpentis conculcat, tum κοινωνίας τῶν ἐνεργημάτων, quia Semini Mulieris vere divinum opus Contritio capitis serpentini tribuitur, tum κοινωνίας τῶν ἀξιωμάτων, quia Semini Mulieris gloria tum pugna contra Serpentem & omnem ejus exercitum, tum gloria præpotentis *Victorie*, tum gloria triumphus cujuslibet adversus omne Diaboli regnum, & nunc & in perpetuum attribuitur. Idem etiam de calcaneo læso prorsus contrito ejusque vivificis effectibus juxta textum demonstrari posset.

### §. XVII.